

vel tres aut quatuor psalmos. Sciendum est enim, quia in eo, quod dicit *excesserit*, potest etiam intelligi oblivio alicujus rei, quae oblita est. Verumtamen in hac oblivione discretio necessaria est, quia non omnis res aequalis est; verbi gratia si magna et sancta est res et in rustico loco, i. e. non congruo, oblita est, tunc debet veniam petere, non tantum, quia oblivioni tradidit, sed etiam, quod in rustico loco eam posuit. Si autem ipsa res in loco mundo, hoc est in loco sibi congruo et apto posita fuerit et oblivioni tradita, non intelligo, pro hoc cum debere veniam petere, quia superius non dixi, eum veniam petere pro eo, quod oblitus est, sed pro eo, quod in rustico loco posuit. Quod autem dicit *majori vindictae subjaceat*, ita intelligi debet: i. e. verbi gratia, si debuit antea ad unum officium veniam petere, postea petat ad duo et reliq. Similiter si per duos dies poenitere debuit antea, postea per quatuor et reliq. Si autem in refectorio excedit, ita agendum est: si parum excedit, i. e. si cochleare cadit aut cultellus aut cuppa, et faciunt sonum, si in tali loco sedet, ut non possit surgere, ut petat veniam pro aliis, eo quod non potest exire, tunc debet surgere et flectere cervicem; si autem tali loco sedet, ut possit exire, tunc debet exire. Abbas autem, si parvus sonus factus est, debet illi innuere, ut non petat veniam; si autem grandis sonus factus est, tunc debet ante abbatem veniam petere, ille autem, qui non potuit exire, si grandis sonus fuit, tunc, postquam surrexerint a mensa, veniam petere debet in refectorio ante abbatem propter illud, quod dicit regula *non veniens continuo ante abbatem* et reliq. Infant es vero vel etiam qui sub custodia sunt, si sonum in refectorio fecerint aut rumpunt vel perdunt aliquid, veniam debent petere sicuti majores.

*Cap. XXXXVII.*

DE SIGNIFICANDA HORA OPERIS DEI.

In hoc ergo loco S. Benedictus etiam suum ordinem custodivit, cum dixit de horis, quibus reficiendum erat, et de completorio propter rationem, qua indigebat conjungi